



RENATUS Lotaringiæ Dux, Apuliæ Regis ex filia ne-
 pos, à Venetis sollicitatus spe regni Apuliæ obtinendi, quod sibi
 hæreditate materna debebatur, Venetias iuit. Fœdere cum Ve-
 netis percusso, in Ferrariensem agrum bellum mouet, atq; vrbs
 ipsius, Ferrariæ inquam, oppugnationem adgreditur. Verùm ab
 Alphonso Aragonum Rege fortiter pulsus, cum exercitum vi-
 ribus eneruari, ac se ob aëris intemperiem mala valetudine affici
 sentiret, inglorius in patriam rediit, circiter annum à mundo
 condito 5404. à Christi natiuitate 1442. hunc perhibent
 fuisse probitatis eximiæ principem, nec à maioribus degene-
 rasse, qui verè pij, & synceræ fidei cultores semper sunt habiti.
 Videto Supplem. Chronicorum li.16.

IOANNES, Calabriae ac Lotaringiæ Dux, primogenitus
 Siciliae Regis filius, magnanimus, bellicosus, & æquitatis aman-
 tissimus extitit. Videto vt supra.